

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

scribo salutem. Meis etiam verbis honestissimam tuam conjugem salutari cupio.

Die Institutionis Cœnæ Dominicæ, pro cuius dignitate tuenda prælia Domini gerimus. 1565.

Excell. T.

reverenter colens

Tilemannus Heshufius.

LXXVI.

Gratiam & pacem per Christum.

PRæter spem atque voluntatem meam occasione professionis urgente Argentina discedere sum coactus te insalutato, integerrime ac Reverendissime Antistes. Etsi autem pridie discessus mei bis terve te domi tuæ accesserim, ut fueram pollicitus, dolui tamen, te domi non invento sublatam mihi occasionem ex integro liberandæ fidei meæ, imprimis verò præstandi officium meum, quod singularis illa benignitas ac comitas, qua te invisentem excepisti, jure postulabat. Sed quod gravissimis tuis occupationibus tum impediens non est concessum, istis literis, quibus studium atque benevolentiam ergâ te meam, quam possum, officiosissime declaro, refarciri oportet. Cæterum ad rem.

Quum illam nunquam satis deplorandam ecclesiarum divisionem, quam disfidium in articulo de Cœna Domini olim peperit, alic verò nunc augetque indies, considero, dolere satis non possum rùm dissipatæ Ecclesiæ vicem, tum maximè eorum, qui hac perpetua contentione & ab omni piæ concordie conditione abhorrente perpetuum Ecclesiæ luctum, Sathanæ exultationem imprudentes creant. Atque eo magis doleo, quo unamquamque partium ad victoriam & triumphum de altera aspirare potius quam de pia quapiam ratione ineunda, qua aliquando tandem sævissimi isti fluctus confideant, cogitare video. Verùm nobis, qui ad oves Christi verbo suo congregandas, pascendas, alendas, refocillandas, & in pacis pulchritudine retinendas ac conservandas vocati, eas jugulamus, mactamus, dispergimus præpostero nostro zelo, seu potius perpetuo quodam studio ac libidine contendendi: & quod longè est fœdissimum, argumento sine fine tumultuandi inde sumpto (hoc est à Sacra Domini Cœna) undè si Christi spiritus ac mens, quam alioqui pro se quisque nostrum jactare non cessat, vigeret in nobis, perfectæ in ipso dilectionis ac unionis deberet sumi. Et cur nullo profanationis Cœnæ Dominicæ loco hoc habemus?

At dices fortassis, Præful observande, in quos inveheris? Invehor in eos, qui cujuscumque demùm partis sint, (utraque enim pars existimat, se veram ac piam doctrinam defendere) scriptis suis, ne quid gravius dicam, ad Christianam mansuetudinem & modestiam parum temperatis satis declarant, se neque edoceri neque docere velle, sed vincere, idque cum rationibus, tum convitiis. Videlicet parùm refert, qua ratione constet victoria. Bucerus, vir immortalis memoria dignus, in articulis concordiaë hæc de re tranquillitati Ecclesiæ, meo iudicio, se satis attemperavit. Utinam illius studium omnes imitentur. Neque video, quæ, præter ea, quæ illis articulis & ipsius expositionibus sunt comprehensa, alterutra pars affirmat, tanti esse momenti, quibus Ecclesiæ instauratio ac felix & omnium piorum votis exoptata concordia multo intervallo non debeat anteponi. His, si Dominus ad ministrandum in verbo suo apud vos me vocaverit, libenter atque bona fide me accomodabo, quemadmodum & quum hæc de re confabularemur, præter eam modestiam, in qua nemo vestrum jure quicquam desideret, Charitati tuæ sum pollicitus.

Cæremonias ac ritus sacros vestros, ut jussisti, attentè sum contemplatus, omnia iudico ad pietatem rectè esse composita. Fractionem tantum panis in Sacra Cæna, cujus alioqui in sacris literis tam luculenta & illustris extat mentio, ut hæc una circumstantia in illa purissima Ecclesiâ Apostolorum universæ Cænaë Dominicæ actioni indiderit nomen, quo consilio apud vos sit omissa, nondum scio. Cæterùm eam aut retinere, aut meliore consilio omittere ipsa docebit Charitas, cui uni omnia in Ecclesiâ inservire debent. Habes (mi Domine plurimùm observande) istis in literis; quæ, si domi te convenissem tuæ, coram esses accepturus, quæque, sive apud vos sim futurus, sive secus, inviolata tibi & Ecclesiæ tuæ perpetua observatione præstabo, ubicumque demùm gentium degam: ac valdè mihi gratulor hanc occasionem nactus, amicitiam Christiana Charitate obsignatam, quantum ex me est, tecum ineundi. Hoc unum per Christum oro, ut quemadmodum de tua fide & pietate, ut mihi polliceor, est æquum, Ecclesiæ instaurationi (quæ haud dubiè concordia fit) quam sædissimè dissipatam vides, summo tuo studio non desis: meque ea vicissim in Christo charitate amplectere, quate & amplector & veneror. Fortunet Dominus tuos conatus ad gloriam nominis sui tendentes, Amen. Francoforti 22. April. 1565.

Obsequio tuo addictiss.

Cassiodorus Reinius.

Hisp.

LXXVII.